



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput III. Partes potentiales prudentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

ciendum, à malo declinandum; deteriora melioribus postponenda; animus à transitorio ad aeterna convertendus; &c. quæ à S. Augustino lib. 1. de lib. arb. c. 10. vocantur *regula incommutabiles, & lumina virinum.* Prudentia autem versatur circa conclusiones practicas, sive circa actiones, quæ sunt in singularibus.

CAPUT III.

Partes potentiales prudentiæ.

25 **P**artes potentiales alienius virtutis à S. Thoma vocantur *annexæ* virtutes, quæ aliquid habent de virtute cui annectuntur, sed non totam rationem potentiamque istius virtutis. Poniturque tres partes potentiales prudentiæ, *eubuliam, synesin, & gnomem.*

Eubulia est habitus tribuens facultatem bene consultandi, sive inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis.

Synesin est habitus rectè iudicandi de actione ex principiis practicis ordinariis, & propriis illius materiæ.

Gnome est habitus rectè de ea iudicandi ex principiis altioribus, ex quibus iudicium formetur secundum mentem Legislatoris, licet non secundum litteram legis, v. g. in vasori patriæ non esse reddendum depositum, vel furioso non esse reddendum suum gladium.

26 Unde adæquatè distingui non videntur à virtute prudentiæ, sed inadæquatè dumtaxat. Nihil enim aliud esse videntur, nisi prudentia inadæquatè concepta: utpote ad quam pertinet 1º. adinvenire media idonea ad finem consequendum. Quod cum fiat bene consultando; *eubulia*, quæ est habitus bene consultativus; non videtur aliquid realiter adæquatè distinctum à prudentia, sed ipsa potius prudentia secundum unam ex suis functionibus partialiter considerata. 2º. bene iudicare, sive ex propriis principiis, sive ex altioribus. Tam enim ista, quam illa considerat prudentia; tamque ex istis, quam ex illis iudicat de honestate, vel turpitudine actionis hic & nunc exercendæ, vel omittendæ. Igitur *synesis* & *gnome* sunt etiam prudentia secundum aliquam sui functionem inadæquatè considerata.

27 Nec ab ea sententia alienus videtur S. Thomas, cum q. 47. a. 2. doceat, prudentiam esse consiliativam, & a. 8. statuatur, bene consiliari, & bene iudicare, esse actus prudentiæ.

28 Addit tamen eodem art. 8. tertium actum prudentiæ, scilicet *præcipere.* Et iste est principalis inter omnes prudentiæ actus: utpote per quem prudentia consequitur finem suum, qui est bene agere. Unde nec absolute prudens dicitur, qui bene consultat, & bene iudicat, sed qui bene præcipit, si-

ve imperat actum bonum bene fieri, sive interim præceptum istud sit actus intellectus, qui vocatur iudicium ultimè practicum, uti sentire videtur S. Thomas, sive sit actus voluntatis, imperans ut voluntas velit, plenèque velit, uti sentire videtur S. Augustinus lib. 8. Confessi. c. 9. dicens: *Imperans animus, ut velit animus, qui non imperaret, nisi vellet, &c.* sive sit actus utriusque potentia, intellectus scilicet & voluntatis, prout plerique opinantur.

CAPUT IV.

Vitia prudentiæ opposita per defectum.

Quatuor sunt, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia. Quatuor enim sunt regulæ prudentiæ.

Prima regula est, ut priusquam opus aggrediaris, vel aggrediendum iudices, maturè consultes & deliberes de mediis, deque modo exequendi. Contra eam peccatur per præcipitationem, quæ est subitanea, absque consilio, & iudicio de mediis & modo, operis aggressio.

Secunda regula est, ut diligenter inspicias opus, de quo iudicandum est, & circumstantias illius. Contra quam agit inconsideratio, quæ, non inspectis qualitibus & circumstantiis operis, iudicium fert. Seculo divinorum præceptorum contemptu, præcipitatio & inconsideratio non sunt peccata mortalia, nisi per alterutram quispiam se exponat periculo faciendi aliquid, quod reverà peccatum est mortale.

Tertia regula est, ut postquam maturè deliberaveris, & iudicaveris, opus esse faciendum, isti iudicio firmiter inhæreas, nec illud leviter, & absque sufficienti ratione mutes. Non enim aptus est exequi quod consultatum & iudicatum est, qui sine gravi causa (quæ prius non occurrerit) quasi ad flatum venti sententiam mutat. Huius oppositum facit inconstantia, quæ peccatum est mortale, si ex voto, vel præcepto, vel obligatione vitandi scandali, quis in sententia persistere teneatur. Nullum verò peccatum, nec inconstantia est, ob graves causas, antè non prævisas, mutare sententiam, juxta illud: *Sapientis est mutare consilium.*

Quarta regula est, tem maturè deliberatam & iudicatam, citò, vel tempore opportuno mandare executioni, juxta illud Philosophi 6. Ethic. 9. *Cito agenda sunt quæ consultaveris, tardè vero ac diu consultandum.* Et Socratis: *Delibera tardè; perforce autem cito que visa sunt.* Et S. Thomæ q. 47. a. 9. *Oportet consiliari quidem tardè, sed velociter exequi.* Contra hoc peccatur per negligentiam. Quæ si solum sit omisso diligentia requisita in ipso opere externo, non est directè contra prudentiam, sed contra aliam virtutem,